

FK. 49.

Z
6555

V I R O
MAXIME REVERENDO
M. CAROLO FRIDE-
RICO HESSO,

PASTORI CHRISTIANORVM AFRANORVM VIGILANTISSIMO,

QVOD

VIRGINEM HONESTISSIMAM

FRIDERICAM ELISABETAM

FILIAM NATV MAIOREM

FLORENTISSIMO SPONSO

IOANNI AVGVSTO
ZACHARIAE

PATRONO CAVSSARVM IN ALBVM RELATO,

ICTI PRAESTANTISSIMI

CHRISTIANI SALOMONIS
ZACHARIAE

PROCVRATORIS ELECTORALIVM REDITVVM

VNICO FILIO,

VIII IDVS SEPTEMBRES ∞DCCCLXVIII

NVPTVM DEDIT,

PIE GRATVLATVR

AFRANA SCHOLA.

MISNAE
LITERIS SCHVLZIANIS.



08.01

* * *

Cum ante hos octo annos in Afraneo docendi munus susciperes, Venerande Vir, meam Tibi salutationem haud displicuisse, cognoui. Tanto nunc alacrior ad gratulationem accedo, quia mecum premium de leuandis Tuis domesticis curis fructum hodie iucundissimum decerpis. Hilari uultu collocas optatissimo Zachariae filiam, quam crescere dignitate, gratia, fortunaque uides. Haec mihi mecum reputanti uenit in mentem Dauidici loci de splendidis filiabus. *Psalm. CXXXIII, 12.* Quem locum e fonte sic fere conuerto in latinum: *Filiae nostrae, tanquam statuae, sunt excisae ad exemplar palatii.* Atque illius interpretationis has Tibi reddo rationes. Eo carmine miles, a Deo quondam instructissimus, dilatato nunc regno se indignum agnoscit, atque aduersus hostes maritimos montanosque, quorum os et dextra solet in summa inanitate uersari, diuinum auxilium implorat. Quibus ex indicis colligo, regem Dauidem, cum haec scriberet, bello cum Philistinis, mare medium aecolentibus, et urbes in iugis montium tenentibus, implicitum fuisse. Qua re non temere abiicio, quod hymni titulo Graecus, Syrus, plures, explanandi gratia quondam addiderunt: *in Goliathum.* Goliathus enim, gigas Gathensis, ab Elhanano, ductu auspiciisque Dauidis fortiter pugnante, adeo prostratus est, ut illa de uictoria rex admodum senex Deo gratias ageret singulares. *2 Sam. XXI, 19-22. et XXII, 1-51.* Tam faustum armorum exitum uideatur haec precatio atulisse, in qua maleolorum gloriola ostentatio iustissimum ad Vindicem iactationis defertur. Coherent enim apte factis argumenta, si uerbum, quod identidem omissum animi commotio tum reticuit, subaudias ad hunc modum: eripe me, mi Liberator, de manibus uaniloquorum. *qui, Nostri, inquit, filii uigent; nostrae filiae nitent; nostra penaria referta sunt, uillaque tota locuples est, sine ulla mobilitate Fortunae.* Vagantur iidem buccinatores suae gentilitatis huc et illic imaginando, dum filios plantis comparant, filias columnis. *Columnae,* quarum figuris Asia mirifice capitur, hic innuuntur positae in extremitate magnificorum aedificiorum statuae, cum, ad perpendicularium erectae, nunc dealbantur, nunc inaurantur. Ita mulierculae, quotidianas formas aspernatae, uincto pectore, demissis humeris, os sublime ostentabant, et candidis aureisque uestibus superbiebant. Ad talem podii fabricationem *excindi* magna cura et aduehi solebat e monte Libano cedrus, procera, enodis, uiuacissima, ut exempla regiae domus aut fani architecti sequi uiderentur. Sic cae demum feminae non modo nobiles, uerum etiam beatae, cessabantur, quae sic adoleuerant, ut enormis in iis uitii nihil fama publica reperiret, quia iucunditati se dare, mores aulicos imitari, commentitorumque deorum gloriae seruire norant. Unde conficitur, splendorem puellarum, ut educandarum, sic maritandarum, ab indulgentissimis parentibus esse spectatum. Dilucidat hoc dictum historia Philistinorum, plerumque rebus Veneriis deditissimorum. Sic ut enim primis temporibus ante terrarum omnium eluionem gigantes, inconsulto Jehouae numine, temerario quodam impetu rapuerant adolescentulas, quas sibi quisque uenustissimas accommodabat: ita multo libidiniosus ab eorum nequiore progenie, crescentibus cum diuitiis uitiiis, peccatum est. Chami enim, inuerecundissimi filii Noae, posteritas, Aegypto fertili et pingui Capadocia peragratis, in maritimo tractu inter Assyriam Aegyptumque confedit, ubi nomine Philistinorum seu peregrinatorum distingui coepit. Ipsi Philistini tamen postea sanctitatem patriarcharum pudefacti uiderant, Moysisque diuino monitu ab Josua coerciti, Samgaris taurea percussi, a Simone potissimum uiri-

bus attriti erant: tamen eorum filiae corruptelarum illecebris Israelitas identidem irretierunt. Nominatim Delila, formosa, polita, cum, pecuniis infidiantium inuicto coniugi superba, patriam diuturna solitudine liberaisset, uictrix Simlonis, iuxta caryatides omnium ludibriis expositi, in Dagonis aede citabatur, supplicationum testa die publice decreta. Senatus igitur populusque Philistinus se suosque hoc beatiores praedicauit, quo plures Delilae similes heroinas tolleret, ac nuptum daret, et quasi reipublicae columnina erigeret. Ascalone fitebatur fanum Veneris antiquissimum, ipso Cyprio Cytherae prius, ut memoriae prodidit Herodotus *l. 105*. In eo simulacrum deae nituisse, quis dubitat? Mutam igitur in effigiem ex animali exemplo ueritas ut transferretur, bellissima specie commendatissimas sibi mulieres sculptor et pictor proposuit, caelo et penicillo artificiosissime exprimendas, ne uerissimum admirandae pulchritudinis iudicium habuisse negaretur. Quam ob rem insita penitus et inueterata diuinitatis opinio studium formae tam uehementer in Philistinis auxit, ut arrogantissimi parentes de nulla re magis, quam de filiabus, metae Veneriae modo exsurgentibus, intolerantissime gloriarentur. Huius generis gloriationem stirpitus Nioben interemisse, ex Homero, maxime Ouidio, inter omnes constat. Cum enim Tantali, gigantis ob superbiloquentiam miserimi, filia se Latonae seu arcanae uirtuti, suamque numerosam utriusque sexus subolem paucissimis eius heredibus antetulisset; subito omni prole orbatur ac lacrymans obriget propterea, quod, amabilem propaginem unice deamans, spiritus sibi sumplerat non ferendos.

Tam phaleratis profanorum dictis sinceram animi religionem antistare, Dauides sapienter existimauit. Vera, inquit, felicitate utitur Israeliticus populus, cuius est Jehoua Deus. Cum inter Philistinos commorandum esset, dementiae maluerat ab iis accusari, quam ab Israelis Deo deficere. Quas genuerat, filias timore Domini non leuiter imbuit, commonefactas, omne puellae regiae decus in uirtute, Regi regum approbanda, positum esse sic, ut ab oculis uulgi remoueretur. Versicolore quidem palla permisit indui, tanquam insigni uariorum donorum Spiritus Sancti; sed in luxuriae instrumenta uetuit effundi, quia cum hominis forma fragile bonum est, tum superbientium uestimenta tineae, castigationi diuinae famulantes, erodunt. Huic Dauidis diiudicationi consentiunt omnes formarum arbitri, diuinitus dati. Proximus ei suffragator Salomo, damnosa lenocinia uicinarum gentium expertus, reddita mentis animique sanitate, Fallax, ait, gratia formositaris; dignior laude uirago est, Jehouae metuens, patiens operarum, inuigilans malis, coniugis obseruantissima. Haud aliter Jelaïas, in Judaicam Philistiniae concinnitatis aemulationem grauiter inuectus, eas demum pulcherrimas censer esse sponfas, quae salutari Christi iustitia circumuestiuntur. Sic in admirationem formatae, si boni propositi constantiam tenent, comparantur a Siraide columnis, quibus maritorum tranquillitas fulcitur. Hinc, opinor, mos ludaeorum increbuit, ut singulis sabbatis pater filiae bene dicat his uerbis: Deus te Leam et Rahelam referre iubeat! Vult enim, ut ea saepe multumque cogitet, simile ab se studium consequendae beniuolentiae diuinae, sine cura faciei praestantioris, expectari. Muliebrem itaque mundum Paullus non e cincinnis, auro, margaritis, amictu pretioso; sed fide, caritate, sanctimonia et modestia, aestimauit. Et Petrus summam sanctissimas quasque feminas iisdem animorum, non corporum, ornamentis excelluisse concludit.

PK 24 6333

X 337 0857

Horum auctoritate freti, Pastores Afrani cum omnium castarum uirginum, tum suarum filiarum, saluti atque exultationi optime consuluerunt, educationisque non mollis optabilia praemia reportarunt. Nic. Spechti Vrfulam, quindecim annos natam, sibi Ge. Seidendorfius Oeconomus Afranus elegit; deinde Magdalenam Frid. Piscator, oppidanæ Grimensium scholæ Rector, uxorem duxit, cui Jo. Hantschmannus aucupium piscatorium gratulatus est. Mich. Reichart Anna Maria nupsit Casp. Weisio, Diacono Ortrantino; Aug. Pfeifferi Euphrosyna Concordia L. Seuerino Waltero Schlutero, Saxo-Lauenburgico Superint. Generali. Plures honorifice collocatas hic breuitatis gratia praetermitto, neque Ant. Simonis, neque Christoph. Henr. Wincleri, generos peregregios profero, quorum est memoria recentior.

Tu uero patrum tam diligentium fortunatorumque uestigiis sagaciter insistis, colende sacrorum Antistes, atque, ut Winclerus, quem obliuisci nequeo, sed iterum honoris causa nomino, primam filiam Zachariae, facundissimo Risanorum Oratori, foedere connubii iunxit, ita Tu Tuam Elisabetham Zachariadae, patrueli Eius, Misnico sacerdoti iustitiae, propriam dicas. Nam huius non modo Patruus, sed etiam Pater cum Matre honestissime se gerit, et tam gratis agendis, quam gratulationibus habendis, Misnensium sermone ciuium celebratur. Ipsum autem Ioannem Augustum, Tibi multo usu cognitum, studiose nunc a me commendari, superuacuum est, postquam Eius de praeclara indole, quae tenses, in tabula patefecit, cum beneuolentissime dimitterem. Idcirco non possum intermittere, quin hoc die nuptiali solenne uotum faciam, cuius compendium aequo et facili, quo ee, animo uelim accipias:

Viuat Virgo, bono Zachariae placens,
Tam secunda Laeae reddat imaginem,
Quam iucunda Rahelae,
Nunquam difficilis uiro.

Vndis raucifonis indomiti maris
Vt rupes solidae cedere nesciunt:
Sic immota periculis
Stet concordia Coniugum,

Quorum sancta fides atque piaec precēs
Delectant memorem legitimi thori
Auctorem, atque Datorem
Recti consilii mouent.

Exoptatur in hoc gymnasio nouis
Misinae Deliciis nil nisi fausticas.
Ab nobis bona uerba
Sponsus Sponsaque postulant,

Huius Sponsus enim Calliopes fuit
Solers discipulus, comis et integer,
Afranasque reuisit
Judex saepe panegyres.

Sponsae qui Pater est, hebraicum melos
Et praecepta Dei naviter explicat,
Nostro dignus honore
Augeri gemino senex.

Dum pulchram faciem nobilitat decus
Immortale animi, uestibus aureis,
Tincta murice lana,
Et gemmis pretiosius;

Commendata satis conuenit in manus
Praefantis Iuuenis, cui nihil est prius,
Quam dos optima sano
Mens in corpore sobria.

Ergo, hoc pacta die, confociatio
Par legem thalami percipientium
Multos seruet in annos,
Grata utrinque Parentibus.



mc.

FK.49.

26

Zf
6555

VIRO
MAXIME REVERENDO

CAROLO FRIDE-
CO HESSO,

CIANORVM AFRANORVM VIGILANTISSIMO,
QVOD
GINEM HONESTISSIMAM

ICAM ELISABETAM

IAM NATV MAIOREM
LORENTISSIMO SPONSO

NI AVGVSTO
ACHARIAE

CAVSSARVM IN ALBVM RELATO,
CTI PRAESTANTISSIMI

IANI SALOMONIS
ACHARIÆ

ORIS ELECTORALIVM REDITVVM
VNICO FILIO,

IDVS SEPTEMBRES ∞IDCCLXVIII
NVPTVM DEDIT,

PIE GRATVLATVR
RANA SCHOLA.

MISNAE
ITERIS SCHVLZIANIS.

